




1554
Peucer







# PROPOSITIONES DE PRINCIPIIS RERVM PHYSICIS, DE quibus disputabitur 27. Februarij.


In Auditorio Collegij maioris, hora consueta.

CASPAR PEVCERVS
Budissinus.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LVII.

Joachimo Camerario Joachimi viri Cl. filio fri suo carissimo Caspar Peucerus



# PROPOSITIONES.

## I.

REcte Ariſtoteles tria conſtituit Phyſica principia rerũ, Materiam, Formam & priuationẽ, etſi priuatio ad Elementarem naturam tantum pertinet.

## II.

Sed falſo coæterna primæ cauſæ eſſe credidit, perſuaſus argumentis phyſicis deſumptis ex hoc naturæ ordine, qui nunc eſt, quæ hiſtoria creationis refutat. Non enim ex ulla præcedente materia rudi atq; informi finxit formauitq; Deus naturæ Architectus diſtinctas ſimplicium corporum ſpecies, ſed principium utrumq; ex nihilo ſolo uerbo condidit, qua de re Deo adſentiamur, qui ſuam doctrinam illuſtribus teſtimonijs patefecit.

## III.

Priuatio quæ ante lapſum primo

rum parentum DEI prouidentia consilio & iussu in materia elementari ordinata erat, ac legibus circumscripta certis & metis, post lapsum eorundem maledictione uocis diuinæ commutata, turbauit in materia languefacta statas leges & constantem ordinem motuum, quo factum ut materia elementaris uagis admodum & incertis agitetur, atq; afficiatur motibus, etsi aliquid de prima perfectione & regularitate reliquum est, uidelicet ordo generationis in qualibet specie.

## IIII.

Soli autem elementari materiæ priuationem coniunxit Deus. Ab æthereis corporibus eandem seclusit. Quare hæc nec motus subeunt ac sustinent tales, qualibus hic elementaris orbis obnoxius est, etsi in orbem circumaguntur perpetuo, nec

nec uices ullas generationum & cor ruptionum experiuntur. Sed quam ſemel materia eorum complexa eſt formam, eam retinet, & retinebit tam diu quam diu Deus opifex & Dominus naturæ conceſſerit.

## V.

Humanum corpus cæteris ele- mentaribus præſtantius, utriſq; cœ- leſtibus & inferioribus cognatum erat, & acceſſerat ex coniun- ctione & ſocietate animæ rationa- lis diuinitus inflatæ ſumma perfe- ctio, qua erat immune futurum à corruptione & interitu. Quare etſi non fuiſſet expers alterationum & ſimilium motuum, quos habu- iſſet perfectiſſimos & ordinatiſſi- mos, ea tamen caruiſſet priuatio- ne, quæ diſſoluta compage formæ & materiæ perducit corpora ad in- teritum formis excuſſis. Erat enim

conditum ad immortalitatem.

## VI.

Sunt itaq; ἀρχαὶ τῶν φύσει ὄντων, ἐξ ὧν πρώτων εἰσὶ καὶ γεγόνασι μὴ κατὰ συμβεβηκός, Materia & Forma. Materia & tanquam ὑποκείμενον πρῶτον ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός, & tanquam συναιτία τῶν γιγνομένων τῇ μορφῇ ὥσπερ μήτηρ, ut inquit Ariſtoteles. Forma tanquam ἐντελέχεια & τελειότης.

## VII.

Hæc duo principia arctiſſimo inter ſe nexu deuincta conſtituunt & abſoluunt corpus σύνθετον, ſuntq; in cœleſtibus ἀχώριστα & ἀδιάσπαστα: in elementaribus propter priuationem materiæ annexam χωριστά. Sed materia per ſeſe abſoluta & completa οὐσία nō eſt, cū ſit ſua natura ἄμορφος

&

& expers formarum omnium. Unde & à Platone uocatur πανδεχὲς, ὅτι δέχεται ἀεὶ πάντα καὶ μορφὴν οὐδενὶ τῶν εἰσιόντων ὁμοίαν εἴληχεν. Quare ipsa per ſeſe non ἐνεργείᾳ, ſed δυνάμει tantum exiſtit, etſi nunquam formis nuda & uacua reperitur, & ab Ariſtotele οὐκ ὂν κατὰ συμβεβηκὸς καὶ ἐγγὺς καὶ πῶς οὐσία eſſe dicitur.

## VIII.

Priuatio nec ſpecie differt à materia, nec principium per ſe eſt, ſed eſt in materia defectus ſeu abſentia formæ, & talis ſeu ruina ſeu appetitio, ut poſt amiſſas ueteres formas nouas appetat & acquirat, cum δυνάμει omnium ſit formarum capax, nec manet in corpore compoſito niſi δυνάμει, eſtq́ꝫ cauſa mutationum quæ materiæ accidunt non ποιητικὴ tamen ſed στερητικὴ, quæ quidem mutationes ex turbatis legibus

motuum nunc magis uariæ instabi-
les & uagæ sunt. Et recte inquit Aristoles, ἡ ϛέρησις καθ᾽ αὑτὴν ἐϛὶν οὐκ ὂν καὶ οὐδ᾽ αμῶς οὐσία.

## IX.

Et inest omni materiæ in hoc elementari orbe δυνάμει perpetuo, ἐνεργείᾳ nunquam, nisi eo momento, quo materia exuens formas ueteres assumit & induit nouas.

## X.

Materia omnium corporum simplicium una & communis est. Sed æthereum ab elementari distinguit priuatio, qua illa caret, ideoq; perfectior est.

## XI.

Constant itaq; simplicia corpora omnia materia cognata, suis formis,

&

& utricꝫ congruentibus qualitatibus. Materia ſenſu nunquam, ratione ſemper & intellectu, cogitata ſcilicet elementorum inter ſeſe tranſmutatione, quam in ſubiecto aliquo fieri neceſſe eſt, & conſideratis artificum exemplis, quæ naturam imitantur, percipi poteſt. Quare & Ariſtoteli tantum eſt καθ᾽ ἀναλογίαν ἐπιστητή, & Platoni νόθῳ λογισμῷ compræhenditur.

## XII.

Nec forma in oculos incurrit unquam, quæ quidem in quouis eſt corpore ultimus ille ornatus ſeu exædificatio ultima, qua res talis eſt, & conſiſtit ac conſeruatur, cietcꝫ atcꝫ efficit actiones ſuæ naturæ congruas, & differt â ſpeciebus cognatis.

## XIII.

Simplicia corpora diſtinguo in

διαφανῆ ἢ ἀδιόπτα, id eſt, perſpicua & opaca ſeu uiſui imperuia. Illa ab his & formis uiribuſq; quæ formis reſpondent, & materiæ perſpicuitate tenuitate & perfectione differunt. Perſpicuorum autem appellatione aquam, aerem, ignem & cœlum: Opacorum terram complector, etſi in hoc elementari orbe ſimplicia corpora pura & impermixta non ſunt.

## XIIII.

Perſpicua rurſus diſtinguo in ætherea & elementaria. Differunt illa ab his præter τὸ ἀγήρατον καὶ ἀναλλοιώτον καὶ ἀπαθὲς, quod hæc craſſiora ſunt, minus perſpicua, & ex materia terrea depurata ac defecata magis magiſq;, & gradatim fuſa atq; extenuata διακρίσει & extenſione totius ſubſtantiæ in omnes partes ſine inſtauratione eius, quod craſſiciei deceſſit.

ceſſit. Illa ſumme perſpicua ſunt, ex materia propagata ex elementis perſpicuis, purgatis exactiſſime, & ſimiliter διακρίσει amplius expanſis ac diductis in tenuiſſimam conſiſtentiam.

## XV.

Differunt & formis ſubſtantialibus & accidentibus proprijs. Aetherea ſunt διαφανῆ ἐνεργείᾳ. Ineſt enim omnibus lux puriſſima, quæ ipſorum ἐντελέχεια eſt & τελειότης. Cõſtant enim materia perſpicua & luce coactis denſatiſq; συγκρίσει in unũ corpus certa lege & proportiõe. Elementaria δυνάμει ſunt perſpicua, & lumine à cœleſtibus refulgente colluſtrantur ac fouentur, etſi ſuas habent formas. Deinde Elementarium σύστασις mollis eſt fuſaq; & fluens. Cœleſtium concreta fixaq; & firmata in orbium & globorum compagem. Elementa ἐνεργείᾳ calida, frigida, humida,

mida & ſicca ſunt. Cœleſtia δυνάμει.

XVI.

Differunt & motu locali, quem φορὰν græci uocant. Cum enim duo ſint motus ſimplices κατὰ φύσιν, nimirũ ἡ εὐθεῖα φορά & κύκλῳ φορὰ, *id eſt*, motus ſecundũ rectam lineam et circularis, Cœleſtia perpetuo ſuper polis fixis circa medium cõuertũtur in orbem δινήσει ſeu gyratione, eaq; duplici. Vna qua totum orbium omnium ſyſtema ſupremi cœli extimo ambitu & concauo Sphæræ Lunæ definitum ab ortu agitur in occaſum ἀεὶ ὡσαύτως καὶ ὁμαλῶς καὶ ἰσοταχῶς. Altera, qua propria & lentiore ſingulæ ſtellæ tam errantes quam inerrantes ſuis traducuntur orbibus in aduerſum ab occaſu in ortum. Elementaria aut à medio efferuntur ſurſum, ut aer & ignis, aut ad medium tendunt deorſum ſecundum rectam lineam, ut aqua & terra.

Lucis

# XVII.

Lucis natura peculiaris est nobisque imperscrutabilis, accensa initio in materia cœlesti ex nihilo diuinitus, ut fieret principium formale, actu cœlestium corporum, δυνάμει inferiorum, quæ afficit uarie mutando ac miscendo inter se & ceu informat. Eam cum peruestigare & assequi Aristoteles non posset, nec perspiceret causas tantę perfectionis materiæ in cœlestibus, recte censuit cœlum quintam quãdam essentiam esse. Inquit enim concludens disputationem de cœlo, διόπερ ἐξ ἁπάντων ἄν τις τούτων συλλογιζόμενος πιστεύσειεν, ὡς ἔστι τι παρὰ τὰ σώματα τὰ δεῦρο καὶ περὶ ἡμᾶς ἕτερον κεχωρισμένον, τοσούτῳ τιμιωτέραν ἔχον τὴν φύσιν, ὅσῳπερ ἀφέστηκε τῶν ἐνταῦθα πλέων.

# XVIII.

Atque ita hæc tria perspicuum ἐνεργείᾳ seu lucidum, perspicuum δυνάμει, & opacum, id est, ut sacræ literæ lo-

quun-

quuntur, cœlum, terram, & lucem
tanquam futura principia reliquo-
rum corporum condidit Deus solo
uerbo ἐκ τῶν μὴ ὄντων seu ex nihilo.
Reliqua uero ἐκ τούτων ἤδη γεγεννημένων,
sicut historia Creationis testatur. Et
perspicuum δυνάμει positu & natu-
ra medium est inter duo extrema
contraria, scilicet perspicuum ἐνεργείᾳ
& opacum.

## XIX.

Cœlum corpus est orbiculare &
sphæricum à Deo opifice immensa
sapientia Verbo ex perspicuo actu,
id est, materia summe perspicua ac te-
nui & luce perfusa, densatum con-
cretumque ac formatum tornatili ro-
tunditate in compagem solidiorem
plurium ac distinctorum orbium ue-
lut excauatorum, instar lucidissima-
rum membranarum, expertem qua-
litatum elementarium & immunem
à motibus & mutationibus naturæ
inferioris, hoc fine, ut distincti or-
bes

bes uariatis admirabili lege & ordi-
ne motibus adfixa ipsis stellarum
corpora perpetuo motu circuma-
gant, quod corpus ut Dei potentia
fabrefactum est, & absolutum tali
perfectione, sic ubi Periodus circũ-
acta fuerit, ad autoris & conditoris
iussum colliquescet rursus instar fu-
mi, ut inquit Esaias, & renouabitur.

XX.

Stellæ sunt partes suorum orbi-
um globosæ, perspicuæ & lucidæ,
densiores orbibus & mole coactæ
materiæ perspicuæ & copia compli-
catæ lucis, ideoq; uisui, ut orbes ipsi
non peruiæ, formatæ ex eadem cœli
simplicissima & purissima materia,
densata primum atq; contracta ad
certas orbium partes, maiore copia
& mole, non eadem ubiq;, sed diffe-
rente, collectioneq; & coagmentati-
one in solidiores orbes conglobata
cum certo demenso lucis hoc fine,
ut collectam hoc modo & distribu-

tam

tam certa proportione magno opi=
ficis consilio lucem primam spar=
gant quoquo uersus, tali discrimine,
ut Sol fons sit præcipuus & ὄχημα τοῦ
πρωτογόνου φωτὸς, & conceptæ lucis
fulgore cum elementarem orbem
collustret ac compleat, tum Lunam
& stellas cæteras suæ quidem lucis
certo demenso imbutas, sed rariore,
magis illuminet reflexione & fra=
ctione communicatæ lucis, & motu
suo ac lumine diurna atque annua de=
scribat ac distinguat spacia. Luna
uero nocti præsit & menstrua inter=
ualla definiat metiatur ac temperet.
Cum utroque lumine cæteræ stellæ
errantes & inerrantes suis circum=
uectæ orbibus uarie afficiant elemē=
tarem orbem.

## XXI.

Concauum orbis Lunaris elemen=
tarem orbem includit complecten=
tem ordine dispositam seriem ele=
mentorum & corporum mixtorum
differen=

differentias, quorum ex elementis origo est.

## XXII.

Elementa quatuor recensentur distincta tum formis & qualitatibus suis, tum substantiæ totius tenuitate & crassicie. Terra grauissima imo loco residet, frigida et siccissima, opaca, quæ alueis alternata distinctione excauatis aquam complexa, cum ea unum efficit globosum corpus. Aqua frigidissima & humida est, διαφανὴς, fusa, fluensq;. Aer calidus & humidissimus est, tenuior multo & pellucidior aqua, ex qua fusa & dilatata originem habet. Ignis elementorum tenuissimus & calidissimus est, aere magis διαφανής, ὑπερβολή τις τοῦ θερμοῦ καὶ οἷον ζέσις.

## XXIII.

Differt enim ignis elementum â flamma, quæ est uel πνεύματος ξηροῦ ζέσις uel καπνὸς ἐκκαιόμενος, ut Aristoteles inquit. Etsi uerum & proprium

ſubiectum flammæ non exacte defi-
niuit. Omne enim quod calore ex-
tenuatum & reſolutum exhalat uel
ἀτμίς eſt uel ἀναθυμίασις, id eſt, halitus
uel expiratio. Ἀτμίδα edūt aquea, uel
uel in quibus humiditas aquea uin-
cit & redundat, ἀναθυμίασιν terrea.
Rurſus ἀναθυμίασις omnis aut πνεῦμα
*eſt, aut* καπνὸς, *aut* λιγνὺς, *aut* κνισσά, *id eſt*
ſpiritus, fumus, fuligo uel nidor. In
ſpiritu ſiccitas excedit modico a-
queo humido imbuta, In fumo ſic-
cum terreum craſſius eſt, copioſio-
re aqueo humido dilutum. In fuligi-
ne, ſiccitatem copioſiorem rarius hu
midum, idq; aereū pingue & lentū.
In nidore rariorē ſiccitatē humidū
aereum copioſius & exactius coctū
complectitur. Ex his diuerſis exha-
lationum generibus ἀτμίς & πνεῦμα
atq; καπνός, ſi in illo ſiccitas ſit inten-
ſa, in hoc ſuperet humiditas nō ſunt
φλωγιστά. Sed uerum flammæ ſubie-
ctum (quod quidē ſemper mixtum
eſt,)

est,) est καπνὸς uel λιγνυώδης uel κνισώδης, id est fumus aut fuliginosus, aut nidosorus, quorum uterque sicco terreo cum aereo humido optime commixto constat.

XXIIII.

Incenditur autem & ardet talis fumus, cum calor feruidus diuellit separatque partes ἑτερογενεῖς, & perspicuas aereas ex opacis terreis aliquantum euolutas atque explicatas colligit, quæ quidem & sua natura post separationem sese diffundunt ad circumferentiam, terreis in imo residentibus. Lucet autem ardens fumus non ex sola perspicui ab opaco separatione collectioneque, sed inest in omni mixto δυνάμει aliquid lucidi splendoris cœlo cognati, quem lumen cœleste subactæ à sese & temperatæ materiæ elemētari imprimit & ceu innectit. XXV.

Hæc quatuor elementa sunt mixtorum corporum ἀρχαί ἐξ ὧν. Ex

his enim inter ſe commoderatione analogica temperatis, eaq; uaria & multiplici, connexiſq; ac deuinctis in unam maſſam ſubſtantia & qualitatibus non *συγχύσει* nec *συνθέσει*, *ſed uera* *μίξει*, *qua* *ὅλα δι' ὅλων* pręcedentibus alterationibus ceu emollita & ſubacta commiſcentur, exiſtunt mixtorum corporum diſtincta genera, certa & conueniente ipſis qualitatum temperie prædita.

XXVI.

Fitq; in mixtis elementorum *ἕνωσις* & coalitu materiæ cognatæ et complexu inter ſeſe conſenſuq; tum fractarum ac temperatarum qualitatum, tum ſociatarum certa & commoderata lege formarum, etſi de formis elementorum an maneant in mixto *ἐνεργείᾳ uel δυνάμει* diſputari ſolet & poteſt.

XXVII.

Cœleſtia corpora efficientiũ cauſarum rationem habent, ſed remotio

rum

rum. Nam & excitant uariantq; in elementari orbe primas qualitates, & ipsa elementa his imbuta subigũt ac uelut fracta & domita colligant inter se luminis sui ui & motu, & conflata iam atq; constituta ex elementis corpora uarie afficiunt. Propinqua mixtionis causa calor est.

XXVIII.

Vt autem in mixtis singulis certa est ἀναλογία elementorum, sic eidem & qualitatum quæ elementis simplicissimæ insunt, certa in singulis respondet temperies.

XXIX.

Qualitates usitato scholarum more distinguo in primas & secundas. Primæ elementis & mixtis ex his corporibus communes sunt. Sed in elementis quibus puræ & simplices insunt, intensiores sunt, remissiores in mixtis, et quidem gradibus diuersis pro mixtiõis ratione. Secũdę mixtis propriæ sunt præter grauitatem & leuitatem.

## XXX.

Primas qualitates distinguo in ὁρατάς & ἀπτάς. ὁρατάς uoco διαφανὲς & ἀδιόπτον in corporib. simplicibus. ἀπτάς calidum, frigidum, humidum & siccum, quarum illas ποιητικάς, has παθητικάς Aristoteles nominat.

## XXXI.

Secundas primę diuersas gignũt ac multiplices diuersa sui inter se cõmixtione in mixtis diuersis. Eas uniuersas duobus cõplector generibus. Ad prius genus refero qualitates respondentes analogiæ humidi et sicci & elemẽtorũ quę sua natura παθητικά magis quàm ἐνεργητικά sunt, terræ nimirũ & aquę. Aristoteles eas παθητικὰς ποιότητας & παθήματα σωμάτικα uocat. Ad alterũ refero δυνάμεις magis proprias formis & qualitatibus actiuis, calido ac frigido, & colorũ differẽtias. Etsi neutrius generis qualitates sine omnium commixtione in mixtis efficiuntur, & actiones calidi ac frigidi

plu-

plurimum uariat diuersa humidi &
sicci analogia ac temperies.

## XXXII.

παθητικαὶ ποιότητες *aut* ἐντελεχείᾳ *insunt mixtis aut* κατὰ δύναμιν καὶ ἀδυναμίαν. Illę affectiones sunt quædã actu existentes & sensibus obuiæ. Hæ meræ potentiæ sunt, nec conspicuæ fiunt, nisi de potentia in actum reducantur. Harum ratione singulæ species magis minusue aptæ redduntur ad aliquid patiendũ. Vtrasq; in mixto calor producit ex uaria humidi cum sicco commixtione. Recipiunt enim mixta omnia formas uarias & uarios substãtię modos ex parte materię, pro ut humidum & siccum exactius coguntur & coalescunt firmius. Sed propter magnam qualitatis utriusq; ἐναντιότητα nunq; talis efficitur humidi ac sicci cõplexus, ut utraq; perfecta cohęreãt implicita cõtinuitate, poris omnib. exclusis atq; oppletis Quare in nullorũ est mixtorũ substã

 tia

tia συνέχεια uera, sed perpetuo pori intercedũt aliqui, qui in aliis angustiore cõpressu conniuent, in aliis laxius hiant.

XXXIIII.

ἐντελεχεία sunt, Rarum, densum, Graue, leue, Durũ molle, Lene, asperum, Tenue, crassum, Viscidum, friabile. κατὰ δύναμιν καὶ ἀδυναμίαν sũt, quę ab Aristotele in quarto Meteorologicôn recensentur, ut sunt τηκτόν, ἄτηκτον, μαλακτόν, ἀμάλακτον, πηκτόν, ἄπηκτον &c.

Δυνάμεις formis analogas appello insitas mixtis uires, effectrices certarum actionum, cum παθητικαὶ ποιότητες aut sint per sese ceu ociosi habitus, qui comitantur humidi & sicci tum proportionem tum cõmixtionem diuersam, aut ἐπιτηδειότητες ortæ ex iisdem causis, quarum ratione aliæ species aliter afficiuntur ab aliis causis. Has tamen ceu præsupponunt in materia δυνάμεις.

XXXV.

Dy-

Δυνάμεων duo distincta constituo genera. Priore complector differentias χρωμάτων, (quæ ut Aristoteles inquit) *sunt* φύσει κινητικὰ τῆς ἐνεργείας διαφανοῦς. Posteriore reliquas δυνάμεων in mixtis species, quarum origo est ex temperie quatuor primarum qualitatum, quas ἁπλᾶς uocaui.

XXXVI.

Colorum ἀρχαὶ ὑλικαί sunt, perspicuum & opacum. Producuntur enim mixtorum colores qui in extremo sunt ambitu corporum conspicui, ex elementis non quatenus calida illa, frigida, humida & sicca, sed quatenus διαφανῆ sunt & ἀδιόπτα. Estq; perspicuum principium colorum per se ac positiuum. Opacum priuatiuum, quod definit διαφανές, uisum exceptum inhibens ac sistēs.

XXXVII.

Reliquas δυνάμεις in quatuor classes distribuo, sequutus Originis rationem ex mixtione primarum qua

litatum, cognationem cum ijſdem atqꝫ conuenientiam. Quædam enim ſuæ originis euidentes & manifeſtas habent cauſas in primarum mixtione, ut ex ijſdem proxime oriuntur. Quædam longius abſunt ab eadem, ſed reduci tamen ad eandem poſſunt. Quarundam ratio nulla euidens in primarum temperie apparet.

## XXXVIII.

In primam Claſſem ὀσμὰς & χυμοὺς confero. Odores ſunt qualitates in halitu exeunte ex mixtis, in quibus aerea humiditatas ſeu plus ſeu minus terreæ naturæ exuberanti, & cœleſti aut igneo calore uſtæ ac uelut torrefactæ permixta eſt. Sapores ſunt qualitates in ſucco, in quo humiditas uincit ſiccitatem terreſtrem calore utramqꝫ digerente, & diſtinguuntur gradibus primarum qualitatum & mixtione.

## XXXIX.

In

In ſecundam Claſſem repono eas, quæ proxime & immediate ſapores ſequuntur & odores, ut ceu effectus illorum proximi cenſeri poſſint, cuius generis ſunt δυνάμεις ἀραιωτικαὶ, πυκνωτικαὶ, μαλακτικαὶ, σκληρωτικαὶ, ἐμπλαστικαὶ & ſimiles. Nam ex illis ceu oriri ac naſci uidentur, ſicut ſaporum & odorum diſcrimina proueniunt ex calidi & frigidi proportione diuerſa in paſſiuis qualitatibus, quæ παθητικαὶ nominatæ materiæ proximæ ſunt, eandemq; primo & immediate ueſtiunt.

XL.

Tertiam Claſſem, qua complector qualitates propagatas quidem ex præcedentium omnium inter ſe analogia, quos etiam prærequirunt in mixto, immediate tamen deriuatas ac pendentes ex ſecundo genere, diſtinguo trifariam. Sunt enim gradus harum qualitatum tres diſtincti, quorum primus ſecundo generi eui-

dentia

dentia primarum qualitatum & mixtionis ratione propior eſt, tertius ab eodem recedit longius & obſcuriore idem cognatione attingit. Medius medio ſe modo habet. Ad primarum tamen proportionem congruunt omnes, ex qua cur tales ſint, & cur effectus pariant ac præſtent tales oſtendi non dubie poteſt.

## XLI.

Primo gradui attribuo eas, quas ἀνωδύνους, ὀδυνηράς, πεπτικὰς, ἐκπυητικάς, διαφορητικάς, ἱδρωτικάς, ἁπτικάς, καυστικάς nominant & ſimiles. Secundo οὐρητικάς, ἐμετικάς, σαρκωτικάς, ἀποφλεγματικάς & cognatas. Tertio κεφαλικάς, ἡπατικάς, σπληνικάς, βηχικάς, ὀδοντικάς, ἀρθριτικάς cum cognatis.

## XLII.

In quartam Claſſem includo eas, quas ſpecificas uulgo nominant, ex quarum genere ſunt δυνάμεις καθαρτικαὶ ἰδίων χυμῶν, ut χολάγωγοι, φλεγμάγωγοι.

γωγοι, μελαγχολάγωγοι, quæ certos è corpore ducunt uacuantq; humores. Item συμπάθειαι & ἀντιπάθειαι rerum ſpecificæ, qualis eſt ἀντιπάθεια in Smaragdo aduerſus epilepſiam, quam morbo naturam uincente aut rumpi aut cum nitore uim omnem amittere, eodem ſuccumbente naturæ confirmatæ uiribus Smaragdi, retinere uim uigoremq; ſuum compertum eſt. Talis eſt inter humani corporis conſtitutionem & ὑδράργυρον ἀντιπάθεια.

## XLIII.

Miranda eſt συμπάθεια poli mundi borealis & magnetis. Certum eſt enim lingulæ in ſciotericis aut pixidibus nauigatorijs eam partem quæ magnete illita eſt, perpetuo ſuopte nutu impelli uertiq; in Boream uerſus polum mundi nobis perpetuo extantem atq; eminentem in ſublimi.

## XLIIII.

Com-

Compertum & hoc est eandem lingulam in pixidibus nauigatorijs nautis delatis ad Meridianum ductum per insulas Astoras, exacte ad lineam congruere meridianam, nec in alterutram partem nutare aut deflectere. Cis meridianum illum in hoc hemisphærio quod ab Astoris insulis Catygaram usque extenditur, dextrorsum, Vltra eundem sinistrorsum declinare.


## XLV.

Et quidem si lingula longior sit, exquisite fabrefacta, & artificiose in summo apice illitione magnetis tincta, accessu ad meridianum illum recessuque angulum inclinationis lingulæ ad lineam meridianam continue & regulariter augeri & minui.

## XLVI.

De causis harum δυνάμεων etsi uarie disputant, tamen illis qui formis proxi-

proximas esse & ex hactenus commemaratarum qualitatum analogia effici ac constitui affirmant, assentior, etsi causas earum ex mixtionis ratione ostendi non posse fateor, & mirandum esse superiorum atq; inferiorum corporum consensum manifestum est, & uoluit Deus Artifex naturæ magna operum uarietate potentiam & sapientiam suam humano generi ostendere, quam cũ peruidere & assequi nequeamus omnẽ, hoc quod Dei beneficio cognoscimus, grati celebremus.



4 Schriften

Vollst.

J.M.B.

B

~~[illegible]~~

Mit 19 ungez. Bll.

" 27 " " "

" 11 " " "

" 16 " " "

~~[illegible]~~